Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 107 - Tom. I

Cartier, Gallus

[S.l.], 1745

Caput quartum

urn:nbn:de:bsz:31-111007

Visual Library

86. mus, ibi conservari Apostolicas Traditiones. Et quidem olim inveniebatur Succesio non interrupta, non modò Romæ, sed etiam Ephesi, Corinthi, Philippis, Thessalonicæ, Antiochiæ, Alexandriæ, Hierosolymæ, et alibi. Ac propterea laudatus Tertullianus* remittit homines ad quamlibet harum Apostolicarum Ecclesiarum, ut ibi inveniant Apostolicas Traditiones: et Theodosius Lege Cunctos populos Codice de Summâ Trinitate, et fide Catholicâ, jubet omnes servare eam fidem, quam prædicabant eo tempore Damasus Romæ, et Petrus Alexandriæ, duo Pontifices præcipuarum Apostolicarum Ecclesiarum. At nunc deficit certa Succesio in omnibus Ecclesiis Apostolicis, præterquàm in Romanâ, et ideò ex testimonio hujus solius Ecclesiæ sumi potest certum argumentum ad probandas Apostolicas traditiones: ac tùm potissimùm, cùm doctrina, vel ritus earum Ecclesiarum à doctrinâ, et ritibus Ecclesiæ Romanæ dissentiunt.

* loc. cit.

90. Caput Quartum.

Unde Speciatim varia Traditiones in prologuio recensita à sese invicem secernantur.

Duobus præcedentibus Capitibus Regulas assignavimus, quibus discrimen humanam inter et divinam Traditiones generatim sumptas dignosci possit; quoniam autem, ut in hujusce Tractatus prologuio annotavimus, varia dantur sacra Traditiones humanæ; nempè pure Apostolica; nam propriè dicta Apostolica Traditio, quàm Apostolico-divinam dicimus, eadem est ac divina, ut ibidem dictum,

De quâ proindè Traditione, ut pote divinâ, cùm 87.
jam sufficienter à nobis dictum sit, multus
hîc est sermo; alia verò Ecclesiastica dun-
taxat; opere pretium arbitrati sumus,
antequam Tractatui huic nostrô finem im-
ponamus breves quasdam atterere regulas,
quibus ostendamus, quâ ratione ha Tradi-
tiones speciatim à se invicem distinguan-
tur, ne in tam multiplici Traditionum
varietate, Traditiones purè Ecclesiastica
cum Apostolicis, et purè Apostolica cum di-
vinis confundantur; atque etiam ut pro-
derit, ut vera à falsis, revelata à non reve-
latis, necnon denique divina ab huma-
nis secernantur. Sit ergò

Regula Prima. 81.

Considerari debet quelibet Traditio
respectu initii sui, idest, inquirendum est
Traditionis, de qua movetur quæstio, ini-
tium. Nam si de illius non constet initiô
sed semper servata atque retenta inveniatur,
non Ecclesiastica, sed Apostolica traditio cen-
senda est, juxta illud S. Augustini lib. 1. cont.
Donatist. c. 24. dicentis: Quod universa te-
net Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed
semper retentum, nonnisi Auctoritate
Apostolicâ traditum rectissimè creditur. qualis est v. g. Quadragesimæ et
Quatuor Temporum institutio.

Regula Secunda. 82.

Considerari debet Traditio quoad
materiam suam. Hoc est, ut vidcatur
et examinetur, an ejus materia Eccle-

 sic potestatem excedat; an verò primùm post Christi ab hoc mundô discessum ortum habuerit, eumque supponat. Si enim traditio talis sit, ut ejus materia Ecclesiæ autoritatem, sive potestatem excedat, evidens est, quòd hæc traditio ab Apostolis non proveniat, sed à Christô primitùs orta, atque propriè divina sit, necnon denominativè tantùm Apostolica, sive Apostolico-divina, non purè Apostolica; quia à Christô primitùs Apostolis, et deinde per Apostolos Ecclesia tradita fuit. Qualis est e.g. Doctrina seu traditio, quâ teste S. Cypriano lib. 2. Epist. 3. docemur aquam esse vino miscendam in consecratione calicis.

Secùs verò judicandum de eâ traditione, qualisunque demum illa sit, cujus materia Christi ex hoc mundô discessûs et ad cœlos ascensûs epocham non superat aut prætergreditur. Enimverò traditio illa, cujus non invenitur initium, fuitque semper in Ecclesiâ retenta, et cujus materia Christi in cœlos ascensum primùm sequitur ac supponit merè et purè Apostolica censenda videtur, seu ab Apostolis ipsis instituta, qualis est v.g. Praxis de vigiliâ in memoriis Martyrum. Mos salutandi se in osculô pacis. Mos celebrandi Agapas*. Mos abstinendi à sanguine et suffocatis carnibus.

* convivia charitatis post communionem sacram laberi solitâ.

Si verò non modò post Christum sed etiam Apostolos ipsos, illudque, quô vixerunt, tempus primùm vigere cœpisse videatur, nec Divina, nec Apostolica, sed Eccle-

siastica Traditio est censenda, qualis est e.g. 89
Abstinentia à carnibus, ovis, et Lacticiniis certis anni diebus.

Regula Tertia. 83.

Considerari ulterius debet Traditio aliqua quantum ad suam qualitatem, seu quoad suam mutabilitatem, vel immutabilitatem, hoc est, si Traditio aliqua talis sit, ut nec Christi, nec Apostolorum ex hac vitâ discessum seu eorundem subsequens tempus arguat vel supponat, nec tamen Ecclesiæ potestatem superet, nihilominus dubium adhuc sit, an divina, an Apostolica scilicet et duntaxat censenda veniat; advertendum est, an mutabilis sit, an verò immutabilis; si primum, necnon Ecclesia in eâ dispensare valeat, evidens tunc est, eam non Divinam, sed purè Apostolicam esse, cùm in divinis Ecclesia dispensare non possit, divinaque Traditio sit immutabilis, utpotè verbum Dei non scriptum, quod in æternum manet. Sic purè Apostolica est Quadragesimæ institutio, in quâ sæpiùs dispensat Ecclesia, præsertim cum Principibus et Magnatibus.

Regula Quarta. 84.

In traditione aliquâ considerandus etiam venit communis SS. Patrum consensus, id est, si adhuc dubitetur, num sit mutabilis, aut Ecclesia in eâ dispensare possit, ac proinde an Divina sit, vel purè Apostolica, consulendus est conors Sanctorum Patrum consensus; Si enim aliquid SS. Patres secundum suorum temporum successionem, semper et ab initio unanimi

7/41

90 consensu tenuerint tanquam fidei dogma, atque ejus oppositum, velut Hæreticum quod refutarint, id sine dubiô, quamvis nusquam in Sacris Litteris Scriptum inveniatur expressum, Traditio Divina est, seu Apostolico-Divina, hoc est, à Christô vivâ voce Apostolis tradita, et per Apostolos ad posteros, et ab iis ad nosmetipsos devoluta, qualis est v.g. Perpetua B. Mariæ Deiparæ Virginitas. Sacræ Scripturæ divinitas. et alia similia fidei dogmata. Hujus regulæ ratio est, quia si omnes Ecclesiæ Patres in hoc errarent, erraret et ipsa, quæ illos sequitur, et sequi tenetur Ecclesia.

Regula Quinta.

85. Traditio Spectari debet etiam quantum ad Ecclesiæ Judicium, hoc est, si non constet adhuc de communi Patrum consensu circa Traditionem aliquam, et dubitetur de tali Traditione, an Divina sit seu Apostolica, qualis fuit Traditio de non re-baptizandis hæreticis, quam impugnabat S. Cypriamus, considerandum est, quale sit eâ de re Ecclesiæ judicium, et tenendum pro Traditione Divinâ illud, quod tanquam fidei dogma Ecclesiæ judicio recipitur, quamvis in Scripturâ expressum non sit, quia infallibile est Ecclesiæ Catholicæ judicium, unde S. Augustinus expressè

* lib. cont. Cresc. c. 32. ait*: Non accipio, quod de baptizandis Hæreticis B. Cypriamus sensit; quia hoc Ecclesia non accipit, pro quâ Beatus Cypriamus sanguinem fudit. Et hæc de Traditionibus a nobis dicta sint, quibus finem dicendi faciemus, si prius iis quæ adversus eas adhuc objiciuntur, responderimus.

Solvuntur Objectiones adversùs ea quæ hactenus à nobis de traditionibus tribus his ultimis Capitibus dicta sunt.

Ob. 1.no Omnes Traditionum species à nobis relatæ sparsim reperiuntur in SS. Patrum Scriptis. Ergò non sunt veræ Traditiones, vel Traditio perperam dicitur Doctrina non Scripta. 86.

Resp. neg. cons. Non enim ideo Traditio dicitur Doctrina non Scripta, quasi nullibi Scripta reperiretur, sed quia vivâ voce non autem Scriptô, à suô primô auctore tradità nullôque librô Canonicô insorta fuit; quamvis postmodùm à Successoribus de illâ testimonium ferentibus exarata fuerit; quales sunt Traditiones Divinæ et Apostolicæ, quæ quidem in nullô Canonicô S. Scripturæ librô expressæ sunt, nobis tamen sparsim à SS. Patribus Scriptô successivè transmissæ fuerunt.

Ob. 2.do Traditiones divinæ passim à SS. Patribus vocantur Apostolicæ, et Apostolicæ vicissim nuncupantur Divinæ. Ergò nullum inter Divinas et Apostolicas intercedit discrimen. 87.

Resp. dist. cons. inter Divinas et Apostolicas, videlicet eas, quæ sunt ab Apostolis ut Christi præconibus seu nomine Christi loquentibus nullum datur discrimen conc. Inter Divinas et Apostolicas, quæ sunt ab Apostolis tanquam Ecclesiæ Pastoribus et propriô nomine loquentibus, nullum intercedit discrimen neg. conseq. Jam in Tractatûs hujus prologô tradidimus dari duplicis speciei Traditiones Apostolicas, sunt enim quæ dicuntur Apostolico-Divinæ, et re ipsâ à Divinis non distinguuntur; sunt autem aliæ quæ purè Apostolicæ dicuntur, et hæ à priori-

bus, adeoque etiam à Divinis secernuntur. vide quæ ibidem annotavimus.

88. Ob. 3tio Ex Traditionis alicujus mutabilitate non potest concludi eam non esse divinam. Ergò falsa est primum locò quartò adducta regula. Ob. ant. Lex Mosaica erat divina, et tamen mutari potuit et abrogari, et re ipsâ in multis per Christum fuit abrogata. Ergò p.

Resp. Dist. imm. ant. Si hæc mutabilitas ~~[illegible] fieri possit ab Eulogia neq. à solo Deo pendeat~~ bilitas à solo Deo pendeat, conc. si ab Eulogiâ neg. ant. et conseq. ad secundum entymema pariter dist. ant. Lex Mosaica erat Divina et tamen mutari potuit à Synagogâ neg. ant. à solo Deo cons. ant. et neg. cons. Quarta regula dum ex mutabilitate Traditionis alicujus arguit eam non esse divinam, intelligitur duntaxat de eâ mutabilitate, quæ fieri potest ab Eulogiâ, non de eâ quæ à solo Deo pendet. Deinde Lex Mosaica propriè loquendo à Christo non fuit tam abrogata et mutata, quàm perfecta, prout ipse Christus loquitur, erat quippe figura novæ legis. unde posset negari utrumque antecedens.

89. Urg. Quadragesima jejunium est ex Traditione Divinâ, prout multi SS. Patres videntur innuere, præsertim S. Hieronymus in c. 2. Joel, S. Ambrosius Concione 36. S. Chrysostomus Hom. 1. in Genes. Et tamen interdum cum multis in eo dispensat Eulogia. Ergò Traditio Divina est mutabilis et in eâ dispensare potest Eulogia.

Resp. neg. ant. Nam si à nonnullis SS. Patribus jejunium Quadragesimale ad Christum tanquam illius institutorem vinda-

tur alibi referri; ideò fit, inquit Melchior 93
Canus, quia ad Christi jejunantis Exemplum
est ab Apostolis institutum; vel quia Apostolica dicta Christi dicta censentur, quia
Spiritu Sanctò assistente ab ipsis prolata fuêre, prout ipse Christus idis promisit dicens
Joan. c. 16. v. 12. Multa habeo vobis dicere,
sed non potestis portare modò. Cùm autem
venerit ille Spiritus veritatis, docebit
vos omnem veritatem. quâ promissione
Divinâ fulti posteà Jerosolymis congregati
sic definiunt act. c. 15. v. 28. Visum est Spiritui Sancto et nobis.

Ob. 4.to Olim varia Ecclesiæ contraria 90.
planè sibi ab Apostolis tradita fuisse contendebant. Ergò Regulæ ha, quæ traditiones
ab unanimi Ecclesiarum consensu repetunt
locum habere non possunt.

Resp. Dist. ant. Varia Ecclesiæ contraria planè sibi ab Apostolis tradita fuisse
contendebant quoad ritus et ceremonias,
cone. ant. Quoad Dogmata neg. ant. et consequentiam. Memoratæ Regulæ de dogmatibus duntaxat sunt intelligendæ, non de ritibus et ceremoniis Ecclesiasticis nec dogmata
nec fidem spectantibus, quæ varia in variis
Ecclesiis esse possunt.

Ob. 5.to Si Traditiones eadem fide sint 91.
recipiendæ, ac ea, quæ Scripturis continentur,
propter Ecclesiæ testimonium et Patrum
consensum: tunc hæc Ecclesiæ et Patrum
testimonia eandem certitudinem et auctoritatem habebunt, ac ipsa S. Scriptura: tunc
credendum est Scriptis Patrum eadem fide, quâ
Scriptis Propheticis et Apostolicis credimus: tum
sive Patres loquantur ex Scripturâ, sive absque
Scripturâ, nulla erit differentia quoad fidem

ipsis habendam. Atqui hæc omnia sunt planè absurda, et à pietate prorsus aliena. Ergò et Regulæ à nobis prolatæ ad dignoscendas Traditiones Divinas p.

Resp. com. maj. neg. min. et conseq.

In tribus illationibus in majori propositione exaratis nihil absurdum, nihil non pium, et sanum continetur, dummodò omnia rectè et in sanò sensu accipiantur. Nam reverà testimonium Ecclesiæ et Patrum concorditer scilicet de Traditionibus testantium æqualiter se habet respectu Verbi Divini, sive in scriptò, sive orali traditione ad nos derivetur, tam parium in uno, quàm in altero decipi ab Ecclesiâ possumus. Unde sicut Ecclesiæ ut et concordi Patrum ~~antiquorum~~ de Scripturæ sacræ veritate testimonio omninò credendum est, sic et illius illorumque de Traditione Divinâ testificationi fides adhibenda p.

Finis.

Brevis Dissertatio De Traditione Sacra

Premissa Thesibus, quæ publicè propugnatæ fuerunt en Tractatu De Traditione S. In Conventu Ettoniano. die 30. Junii. anno 1745.

diesse Worte soll nicht geschrieben werden, was folget

P. C.

Iteratò in Palæstram Theologicam descendimus, pro Traditione Sacra certaturi. Equidem, ubi de Sacra Scriptura nobis sermo fuit, Eam primam et præcipuam fidei nostræ Regulam Statuebamus, et meritò quidem, ut potè è quæ fidei nostræ fundamenta præcipua ceciimus. At verò cùm ipsa per se sit obscura, atque interdum in varios sensus trahi possit, atque re ipsa à variis Sectariis tractatur; nec sui ipsius, partium nempe suarum, seu Librorum, quibus continetur certitudinem ex seipsa nobis præbere possit, quippe cùm multi libri tanquam Scriptura Sacra libri venditari possint, imò olim vulgati fuerint, quamvis minimè verbum Dei contineant, prout in Tractatu nostro de S. Scripturâ ostendimus. Hinc necessaria videtur altera fidei nostræ Regula, quæ primam, Scripturam Sacram nempe, confirmet, illiusque verum et genuinum sensum certò et infallibiliter nobis exponat non modò, sed et multa adhuc alia, fide divinâ credenda, nec tamen in Sacris Libris contenta, aut satis expressa exhibeat. Hanc verò fidei

nostra Regulam Traditionem Divinam nuncupamus, illamque non minus Verbum Dei esse contendimus, quàm S. Scripturam ipsam, hoc duntaxat discrimine, quod hæc Verbum Dei Scriptum sit; illa verò non Scriptum. Perperam proinde eam ad humanam Traditionem rejiciendam putant post Vetores Hæresiarchas ab Universâ Ecclesiâ ob id jam olim damnatos Nostri Ævi Catholici seu Protestantes. Quantum enim discriminis inter utramque sit, sat apertè Theses nostræ exhibent; enimverò humana Traditio humanam duntaxat autoritatem sibi vindicat, quod et nos ultrò damus; at præter eam, dari aliam, quæ autoritate divinâ fulciatur, atque æquè Verbum Dei sit ac ipsa Sacra Scriptura, adeoque pariter ad fidem nostram stabiliendam necessaria omninò sit, irrefragabilibus ex omni argumentorum Theologicorum genere petitis probationibus in nostrò Tractatu demonstravimus. Ex quo præsentes Thesos selegimus, quas publicæ Disputationi exponimus, studii nostri fructum aliquem exhibituri; cui ut favere dignetur Dma ac Gratiosa Amplitudo vestra enixè precamur; atque ut itidem præstetis "vos" cæteros Clm Lectores Carissimos atque Doctissimos Dnos auditores etiam atque etiam rogamus.

Finis Operis

Theses.
Ex Tractatu de Traditionibus.

1.

Traditio generatim et latissimè sumpta est Doctrina quavis, sive Scripta sive non Scripta ab uno alteri communicata. Minùs latè verò, et secundùm communem loquendi usum accepta, et prout tum à Sacrâ tum à Profanâ abstrahit, est Doctrina non Scripta, sed vivâ voce per Majores ad posteros successivè tradita.

2.

Strictè autem et Theologicè spectata Traditio, quæque ideò Sacra nuncupatur, est fidei vel morum seu Disciplinæ Doctrina non Scripta, sed vivâ voce, quasi de aure in aurem successivè tradita.

3.

Hæc Traditio considerari potest, vel ex parte Autoris, à quo est; vel ex parte rei, quæ traditur; vel ex parte illius, cui traditur; vel ex parte modi, quo traditur; vel denique ex parte Durationis, ad quam traditur.

4.

Ex parte Autoris spectetur, alia est Divina, Humana alia. Divina est, quæ Deum vel Christum habet auctorem; passim etiam alio nomine Apostolica nuncupatur; quoniam Apostoli à Spiritu Sanctô afflati, vel à Christô edocti eam Ecclesiæ tradiderunt. Humana verò est ea, quæ ab hominibus proficiscitur.

5.

98. Traditio humana alia est Apostolica quæ nempe ab Apostolis tanquam Ecclesiæ Prælatis et Pastoribus duntaxat in bonum Ecclesiæ fluxit. Alia Ecclesiastica, estque ea, quæ nec à Christô, nec ab Apostolis, sed ab ipsorum Successoribus Ecclesiæ Prælatis, vel populis introducta, et tandem per modum legis, vel consuetudinis tacitô sibi succedentis populi consensu, et usu recepta, et ad nos usque delata. Alia denique est merè humana, quæ scilicet homines sibi solis relictos habet autores.

6.

Traditio spectata ex parte rei traditæ, seu materiæ, circa quam versatur, duplex est; de fide una, altera de moribus seu Disciplinâ. Prior est non scripta, sed vivâ voce de aure ad aurem tradita fidei doctrina. Secunda est Doctrina primitus non scripta, sed successivè tradita pro dirigendis formandisque moribus et ritibus, seu pro morum disciplinâ.

7.

Traditio spectata ex parte ejus, cui traditur v.g. ex parte loci, vel Ecclesiæ alicujus particularis, vel Ecclesiæ Universalis, dividitur in universalem et particularem. Prior est ea, quæ sive divina sit, sive Apostolica, sive Ecclesiastica, fideles omnes ubique gentium dispersos attingit; seu quæ universam respicit Ecclesiam. Particularis è contra est ea, quæ unam duntaxat, vel paucas particulares res-

piat Ecclesias. Hæc vel purè Apostolica est, vel merè Ecclesiastica; Divina verò omnes respicit Ecclesias.

8.

Traditio spectata ex parte modi, quo traditur, dividitur in Liberam, et necessariam. Hæc est, quæ necessariò servanda venit, quia per modum præcepti est instituta. Libera autem est ea, quæ per modum consilii duntaxat data, et ad libitum servari vel non servari permissa est. Hæc ad solam Ecclesiasticam, et purè Apostolicam refertur. Divina quippe immutabilis est, et necessaria.

9.

Traditio denique spectata ex parte durationis, ad quam traditur, dividitur in Perpetuam, et Temporaneam. Perpetua dicitur illa, quæ est instituta, ut semper duret, quales sunt Divinæ Traditiones. Temporanea verò est ea, quæ sive ad certum tempus, sive illimitatè sit instituta, talis tamen naturæ est, ut possit ab Ecclesiâ mutari.

10.

Traditiones Divinæ verum dantur et existunt, sed etiam eandem habent, ac Scriptura Sacra auctoritatem; imò sunt æquè, ac ipsa, necessariæ ad fidem stabiliendam.

100. quæ neque ab alio, quàm à Deô seu Apostolis tanquam Evangelii Præconibus institui potuêre. Vel quorum initium nec in Conciliorum, nec in Romanorum Pontificum Decretis institutum invenitur, sed tamen pro Divinâ seu Apostolicâ Traditione in præcipuis et Apostolicis Ecclesiis, iisque, in quibus est integra et continuata Successio, habentur. Aliæ Traditiones hisce conditionibus destitutæ, dicuntur Ecclesiasticæ vel humanæ.

O. A. M. D. G.